



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm**

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.  
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,  
Regum ...

**Trithemius, Johannes**

**S. Galli, 1690**

De Eberhardo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXIII. qui præfuit  
annis XV. mensibus VIII. diebus XX. & varijs gestis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38550**

De Eberhardo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXIII. qui præfuit annis xv. mensibus viii. diebus xx. & varijs gestis.

Eberhardus fit Abbas hujus Monasterij XXIII.



Venerabili Abbate Lutfrido viam universæ carnis Domino vocante ingressio atque sepulto, dies ad electionem novi Pastoris, xxiii. mensis Februarij statuitur: ad quam fratres à Monasterio absentes per literas & nuntios secundum consuetudinem vocabantur. Quâ jam instante comparuerunt etiam, qui ad electionem erant evocati, & præmissâ invocatione Spiritûs Sancti de ordinatione Abbatis negotium incipitur. Ubi singulorum ex more scrutatis votis, qui dictæ electioni interesse debuerunt, unanimi consensu electus est Eberhardus (vel, ut alij, Everhardus) Monachus ejusdem Congregationis, vir integerrimus, scientiâ & moribus clarus; qui confirmatus & ordinatus per Conradum Ecclesiæ Spirensis Antistitem, præfuit annis xv. mensibus viii. diebus xx. & jura libertatésq; Monasterij strenuè defensavit.

Eberhardus patriâ Suevus erat.

Qui Patriâ Suevus de honesta parentela procreatus in puericia sua ad studium literarum ponitur: & quantum ætate crevit ex tempore, tantum successivè in scripturis profecit intellectu scientiæ & eruditione. Cùmque ad legitimam pervenisset ætatem vanas mundi curas pro Christi amore deseruit, & Monasticum schema in præsentî Cœnobio suscepit, in quo sine reprehensione multis annis laudabiliter conversatus est: in tantum quòd omnium in se dilectionem provocavit. Fuit enim vir optimus & magno dignus honore, ingenio excellens, consilio profundus, promptus & circumspèctus, sermone tam latino quam patrio disertus. Ordinatus autem Abbas se Monachus Pastorem in omnibus exhibere utilem pro viribus semper curavit: ea, quæ ad morum institutionem pertinent, secundùm Regulam SS. Patris nostri Benedicti non minùs exemplo demonstrans quàm verbo prædicans. Et quamvis Regularis observantiæ pristinus fervor à Beatissimo Patre Wilhelmo in hoc Monasterio plantatus isto tempore nimium, pròh pudor, in Monachis tepescebat, curabat tamen Abbas Eberhardus subjectos sibi fratres ad puritatem Monasticæ institutionis reducere: & compellebat eos tria principalia Religionis vota maximè custodire. Tam enim diligens & studiosus fuit circa salutem animarum & interioris vitæ custodiam, ut ut ab his qui dexteritatem ejus non novissent, spiritualibus totus semper videretur intentus, & temporalium rerum, sine quibus interiora nequeunt subsistere, aut nullam aut omnino parvam habere sollicitudinem. Tam verò diligens & circumspèctus fuit in ordinatione rei familiaris, ut nemo putaret illum spiritualibus aliquando studijs posse intendere. Totus namque fuit intentus observantiæ Regularis disciplinæ, totus integer atque devotus: & circa Monachorum conversationes tam sollicitus & vigilans, ut Pater omnium veraciter & diceretur & esset. In cura quoque rerum temporalium diligens & multùm providus extitit: & substantiam Monasterij temporalem non minuit sed magnificè dilatavit. Sciebat enim vir prudentissimus Monachos sine provisione victûs & vestitûs in

Eberhardus Pastor utilis.

Eberhardus disciplinæ restaurator.

Eberhardus in omnibus providus.

Eberhardus in cura animarum sollicitus.



in observantia Monasticæ tranquillitatis diu non posse sustinere, & ideo curavit eis omnia necessaria secundum Regulam providere.

Magni nominis fuit & non parvæ autoritatis apud Fridericum Regem II. & alios Principes Teutonici Regni, qui sapientiam in eo & Monasticæ Religionis integritatem plurimum venerabantur. Nam anno regiminis sui octavo, quemadmodum illic dicemus, confirmationem privilegiorum Monasterij sui cum ampliori gratia & libertate à Friderico memorato Rege obtinuit, & favorem apud illum singularem propter sapientiam suam, & vitæ Religiosæ meritum invenit. Magnam suo tempore cum Episcopo Augustense pro defensione libertatum & privilegiorum Præposituræ suæ Rothenensis litem habuit: contra quem jure tandem triumphavit. Præpositus namque Rothenensis à primæ foundationis tempore semper Abbati hujus Monasterij Hirsaugiensis sine medio consuevit esse subiectus: & alium superiorem habuit neminem. Verum ille quoniam & officium Præpositi memorati Cœnobij gessit temporibus Eberhardi Abbatis, nescio quo spiritu seductus, ab ejus se obedientia conabatur subtrahere: & prædictum Augustensem Episcopum pro superiore invocare. Cujus temeritatem Præpositi Abbas Eberhardus iniquo ferens animo se constanter opposuit, & coram eodem Pontifice, ac toto Augustensis Ecclesiæ Capitulo per juris & justitiæ sententiam gloriosè triumphavit. Nam visis & auditis juribus & privilegijs Monasterij Hirsaugiensis ad Præposituram memoratam, quæ Abbas produxit in medium: quòd præpositus Rothenensis non Episcopo, sed Abbati sine medio debeat esse subiectus, fuit ab omnibus declaratum. Ita videtur quòd institutio illius Abbatis Hirsaugiensem secundum Regulam solum respiciat: & de ordinatione ejus nullus se alius intromittat. Fuit autem Abbas Eberhardus jurium, libertatum, privilegiorum, & rerum Monasterij sui defensor acerimus: quippe qui nunquam ferre vel modicam læsionem eorundem ab aliquo æquanimitè potuit. Constans erat animo: nec facilè poterat ab injuriantibus superari: quem utpote in agendis & prudentia reddidit providum, & innata quædam religiosissimæ conversationis auctoritas metendum.

Anno prænotato, qui primus Eberhardi Abbatis exitit, mortuus est Innocentius Papa III. qui & Lotharius quondam Levita, qui libros quinque Decretalium edidit: quos Romæ in Lateranensi Concilio publicavit. Scripserat & ante Pontificatum non spernendæ lectionis quædam opuscula: quorum mentionem fecimus anno II. Marquardi Abbatis.

Iste Innocentius Papa III. ordinem fratrum Eremitarum S. Augustini confirmavit, & sub Apostolicæ Sedis tutelam suscepit: quem illo tempore penè extinctum & labefactum Joannes quidam Mantuanus cognomine Bonus vir sanctissimæ conversationis verbo & exemplo mirificè instauravit, reformavit. & auxit: qui multis annis in Flaminea & Umbria Italiae Provincijs vitam religiosissimam atque sanctissimam in in eremo ducens, multa suæ Religionis Cœnobia fundavit, plurimisque virtutibus miraculis & signis coruscavit. Idem quoque Papa Innocentius ordinem Cruciferorum à B. Cyriaco Episcopo & Martyre olim temporibus Constantini Magni Imperatoris institutum: sed postea per Julianum Apostatam extinctum, quippe qui eundem sanctum virum diversis pœnarum

Eberhardus  
fuit notus  
Principibus.

Præpositura  
Rothenensis  
impugnatur.

Abbas Præpositum  
cōpescuit.

Eberhardus  
jurium de-  
defensor acerimus.

Innocentius  
Papa III.  
moritur.

Ordo Fratrum  
S. Augustini.

Ordo Cruciferorum  
instauratur.



narum ſupplicij affectum Chriſti Martyrem fecit, ſuis temporibus reſci- ſcitavit. & in memorato Lateranenſi Concilio pro S. Crucis honore con- firmavit & hoc intentione præcipuâ contra hæreſim Albigenſium, qui varijs erroribus ſanctam conturbaverunt Eccleſiam. Innocentio Papæ mor- tuo ſucceſſit Honorius ejus nominis III. patriâ Romanus, & præfuit annis x. menſibus vii. diebus xiii. vir certè doctus & morum integritate ſanctiſſi- mus: qui Regem Fridericum II. Imperatorem coronavit, ſed poſtea ex- communicatum depoſuit. Hic Papa Honorius duos novos Ordines Præ- dicatorum videlicet ad inſtanciam S. Dominici, & Minorum D. poſtulante Franciſco confirmavit: & ſub tutela protectionis Apoſtolice Sedis perpetuò ſuſcepit.

Honorius  
fit Papa III.

Eodem Anno Rex Fridericus ſub initium menſis Maij conventum Principum in oppido Nürnberg celebravit, & multa pro comuni pace reipublicâ ibidem conſtituit. Aderat in ea convocacione Principum Apoſtolice Sedis Legatus nomine Petrus Cardinalis S. Potencianæ, qui Engelbertum Coloniënſium electum in Archiepiſcopum ordinavit.

Conventus  
fit Princi-  
pum.

Anno etiam prænotato Otto quondam Imperator ſuorum omnium deſtitutus auxilio, deſertusque penè à cunctis hominibus nimiâ mentis amaritudine anxius, & anxietate tabeſcens inſirmari cœpit: & melan- choliâ cum morbo quotidie creſcente, poſt multas tandem anguſtias mortuus eſt.

Otto Impe-  
rator mor-  
ritur.

MCCXVII.

Anno Eberhardi Abbatis II. moritur Lupoldus Epicoſopus Worma- tienſis, de quo Cæſarius Monachus Heiſterbacenſis in ſecunda Dialogo- rum ſuorum diſtinctione, capite ix. facit mentionem: improbæ con- verſationi illius manifeſtum perhibens teſtimonium. Poſt quem Hen- ricus Præpoſitus S. Cyriaci in Nuhufen prope Wormatiam filius Comitis de Saraponte ſuccedens præfuit annis xvii.

Henric<sup>9</sup> fit  
Epicoſopus  
Worma-  
tienſis.

Eodem anno Rex Andreas Ungariæ, Lupoldus quoque Dux Au- ſtriæ, Joannes Comes de Spanheim, Poppo Comes de Henneberg, Wil- helmus Hollandiæ Comes potentiſſimus, Georgius Comes de Wyede, Ludovicus Comes de Oetingen, & multi alij Comites, Principes, Epi- ſcopi, Abbates, & Nobiles cum innumerabili multitudine Cruce ſigna- torum pro Hieroſolymitanæ urbis recuperacione ad Chriſti honorem tranſierunt.

Conventus  
Principum  
ad ſyriam.

Anno prænotato Henricus ex Comitibus Flandriæ Conſtantino- politanus Imperator ſine liberis moritur: poſt quem Petrus Altifodo- renſis Comes Græcorum ſumpſit imperium, qui Romæ in Eccleſia S. Lau- rentij extra muros coronam Imperij de manibus Honorij Papæ III. ſuſce- pit. Nonâ de hinc die poſt coronacionis ſuæ peracta ſolemnia ab Urbe cum uxore & quatuor filiabus diſcedens iter verſus Conſtantinopolim inſtituit, habens in comitatu ſuo Joannem quendam de Columna Presbyterum Cardinalem Apoſtolice Sedis Legatum, & multos ex Gallia Nobiles. Imperavit autem annis novem, & poſtremò cum ab obſidione oppidi Dyarchi à Theodoro Epyrotarum Duce antea dolo capto diſcederet, ab eodem in montibus teterrimis pedeſter incedens captus eſt, ac per bien- nium carceri mancipatus, uxore interea Imperium gubernante.

Petrus fit  
Imperator  
Græcorum

Imperator  
idem Græ-  
corum ca-  
pitur.



## MCCXVIII.

Anno Eberhardi Abbatis III. circa Dominicam Palmarum, Lupoldus Dux Austriae unâ cum Legato Apostolico, Templarijs quoque & Hospitalarijs, maximâque multitudine Christianorum Salvatori nostro in terra Sancta militantium ad fines Ægypti accedentes Damiatam, quæ olim dicebatur Heliopolis, urbem opulentissimam obsidione cinxerunt, & aliquanto tempore fortiter oppugnârunt. Et in primis quidem turrim, quæ dicebatur clavis terræ prope litus Nili fluminis munitissimam in Vigilia sancti Bartholomæi Apostoli post longam obsidionem ceperunt. Nec diu post etiam urbem ipsam obrinuerunt: quam tamen rursus postea perdidērunt.

Eodem anno moritur Bertholdus Dux de Zeringen vir fortis & bellicosus, qui multa cum adversarijs bella multoties gloriose consummavit. Hic est Dux ille potentissimus, qui Philippo Regi quondam fortiter adhærens, ipsum in Regno contra omnes æmulos potenter servavit, ad quem propterea Innocentius Papa III. Decretalem monitoriam scripsit, quæ habetur libro Decretalium I. capit. *Venerabilem.*

Anno prænotato mare terminos transgrediens antiquos in partibus Frisiz, & procul effusum in longum & latum terram circumquaque subito præoccupavit, villas integras, domos, Ecclesias, oppida & castella subvertit: & plus quàm centum hominum millia horrendo incursum submersit. Casarius Monachus in Heisterbach Colonienfis Diocesis in opere suo miraculorum, causam hujus diluvij quandam irreverentiam venerabili Sacramento Dominici Corporis exhibitam fuisse commemorat, per hominem quendam ebrium, qui pixidem cum hostijs de manu Sacerdotis in terram excussit.

## MCCXIX.

Anno Eberhardi Abbatis III. Fridericus Rex cum magno apparatu exercitus ac Principum comitantium in Italiam profectus est: veniensque Romam circa festum S. Cæciliz Martyris ab Honorio Papa III. coronam Imperij cum magna solemnitate accepit. Qui statim Romam movens exercitum Apuliam & Siciliam Regna paterna perlustrando visitavit: & quidquid sibi adversari posse suspicabatur, de medio sustulit: & plura cum finitimis gentibus bella strenuè commisit: verum quia terras Romanæ Ecclesiz subiectas ense suo tetigit: mox inter ipsum & Papam Honorium gravissima dissensio suborta fuit, quæ cum dispendio utriusque partis multo tempore durans non paucis mortalibus causa periculi fuit. Unde postremo Imperatorem Papa excommunicavit: & suam illum auctoritate ab Imperio deposuit.

Eodem anno Conradus Saladini Ægyptiorum filius post captam à Christianis Damiatam Hierosolymam retinendæ spem penitus abiciens, muros & turres in circuitu destruxit, domos & Ecclesias penitus desolavit: ut venientes Christiani Urbem vacuum & desertam invenirent. Turrim verò David, templumque Dominici sepulchri & Salamonis, sive precibus fidelium inibi comanentium flexus, sive civium potentiam deterritus, sive alia qualibet ex causa non destruxit.

Anno prænotato Dux Lotharingæ, vel consentiente vel dissimulante Argentinensium Episcopo, cum valido exercitu intravit Alsatiam:

Yyy

tiam:

Damiatam  
capitur à  
ChristianisBertholdus  
Dux de Ze-  
ringen.Centum  
millia ho-  
minum  
submersa.Fridericus  
coronam  
suscepit  
Imperij Ro-  
mæ.Discordia  
fit inter Pa-  
pam & Im-  
peratorem.Hierusalẽ  
destruitur.Sepulchrũ  
manet Do-  
minicum.Dux Lo-  
tharingie  
vastat Alsa-  
tiam.



tiam: & ſuorum injuriam, de quibusdam oppidanis atque nobilibus vindicare ſummo deſiderio cogitabat. Diſcurrens itaque cum ſuis per regionem ſpoliavit pauperes, villasque incendit, ac poſtea in ſua reverſus eſt.

His quoque temporibus Cœnobium Monialium Ciftertiens ſ Ordinis in valle S. Catharinæ Virginis & Martyris haud procul à Spanheim de novo fundatur atque conſtruitur per munificentiam Udonis paſtoris in villa Mandale Archipreſbyteri ruralis, ſociorumque ſuorum Gotfridi Præpoſiti de Grutzenach, & Friderici Decani de Hilverſheim: qui pro remedio animarum ſuarum locum ad ſuſtentationem Domino famulantium, cõllatis in unum rebus ſuis, ſufficienter dotaverunt. Quam fundationem Sifridus Archiepiſcopus Moguntinus confirmavit.

MCCXX.

Anno Eberhardi Abbatis V. Fridericus Imperator II. in Apulia conſtitutus multa cum finitimis Saracenis bella gerens Chriſto auxiliante glorioſè triumphavit, eosque ſibi tributarios fecit, multos etiam ex eis diverſis locis atque temporibus occidit: interea verò quò Imperator Fridericus moram pertraxit in Apulia, Henricus Puer decem annorum ſub cuſtodia & inſtitutione Ottonis Epiſcopi Herbipolenſis apud Francos Orientales commiſſus à patre degebat, ſub cujus nomine idem Præful Otto, Sifridus quoque Archiepiſcopus Moguntinus, Engelbertus Archiepiſcopus Coloniens ſ, cum alijs quibusdam Principibus ex mandato Imperatoris Friderici Regnum ſapienter gubernant.

Anno prænotato Conradus Comes Silveſtris de Duna, quem vulgari vocabulo Wildgraſſ nuncupamus, per Sifridum Archiepiſcopum Moguntinum excommunicatur, & terra illius interdicto ſupponitur propter Advocatiam in Heimbach, quam violenter in vaſerat reclamantibus Præpoſito & Capitulo majoris Eccleſiæ Moguntinæ, qui illam ſui juris eſſe dicebant. Tandem Conradi amicis ſe interponentibus, concordia tali conditione facta eſt, quòd Comes acceptis ab Eccleſia centum marcis argenti, Advocatiam ipſis liberè dimiſit: & ſic à cenſuris excommunicationis & interdicti ſolvitur.

Anno etiam præſcripto Nonis Auguſti ſanctus Dominicus Ordinis fratrum Prædicatorũ inſtitutor & Princeps novæ & neceſſaria religionis ſuæ omnimodà confirmatione ab Honorio Papa impetratâ, poſt multa virtutum opera, poſt infinita quoque perpetrata miracula apud Bononiam Italiae urbem migravit ad Dominum, quem poſtea Gregorius IX. Papa miraculis auditis catalogo Sanctorum adſcripſit.

Claruit hiſtemporibus in Cœnobio Heiſterbach Cifterciens ſ Ordinis in Diœceſi Coloniens ſ Cæſarius Monachus in ſancta religione devotus & in ſcripturis divinis ſtudioſiſſimus, qui ad ædificationem Novitiõrũ, quorum inſtitutor ſive magiſter à ſuis ſuperioribus fuerat ordinatus, plura non contemnenda lectionis opuſcula, quibus ſe & tunc præſentibus utilem reddidit, & memorabilem poſteris lucubravit. E quorum numero nos invenimus iſta ſecundùm annotationem ipſiuſmet Cæſarij quam in quadam epiſtola fecit ad Petrum Priorem de loco ſanctæ Mariæ. In primis dum adhuc eſſet junior ſcripſit de muliere quæ apparuit in ſole, ſicut Joannes dicit in Apocalypſi, expoſitionis libros duos. De obſervatione ſolis Dominica in paſſione Dialogorum edidit lib. I. De muliere forti ad laudem

Cœnobium  
S. Catharinæ  
fundatur.

Imperator  
devaſtat  
Saracenos.

Conradus  
Comes Silveſtris.

Sanctus  
Dominicus  
moritur.

Cæſarius  
Monachus  
Heiſterbachenſis  
ſcripſtor.

Opuſcula  
hujus Cæſarij  
Monachi Heiſterbachenſis.



dem Dominae nostrae sanctae Mariae composuit viginti duos sermones lib. i. Dialogum diversarum visionum & miraculorum lib. xii. Super Dominicalia Evangelia homilias quatuor & sexaginta lib. i. Vitam & Passionem Engelberti Archiepiscopi Coloniensis lib. i. Vitam quoque sanctae Elisabeth Landgraffiae Thuringiae & Hassiae lib. i. In festivitibus Sanctorum scripsit super Evangelicas Lectiones Homilias xxxiii. In Laudes Dominae nostrae sanctae Mariae lib. i. De Transfiguratione Domini lib. ii. Super Dominicam Passionem Homilias octo. Contra haereses sui temporis. lib. i. Item scripsit aliud volumen diversarum visionum & miraculorum lib. viii. Ad Canonem Monachum lib. i. Homilias feriales in quadragesima numero xxxvi. In psalmum *Beati immaculati* sermones xxii. In psalmos quindecim graduum lib. i. Super Ecclesiasticum lib. viii. Sermonum ad Novitios lib. i. Alia quoque multa composuit, quorum recordatio non occurrit.

Claruit etiam his temporibus Jacobus de Vitriaco Leodiensis Diocesis. Primò crucis praedicator ex mandato Papae Innocentij egregius, deinde Achonensis Episcopus, ac postremò sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Tusculanus, vulgariter nuncupatus, vir in divinis scripturis eruditus & saecularium literarum non ignarus: qui scripsit vitam sanctae Mariae de Oegnes lib. iii. Passagion quoque terrae Sanctae & Bullam Christianorum cum Saracenis habitam, quibus ut Legatus Apostolicus inter fuit. Contra errores quoque Saracenorum lib. 2. De vita & miraculis quarundam Sanctarum mulierum, quae suo tempore apud Leodium claruerunt, plures lucubrationes edidit. Fuit enim vir non solum eruditione clarus: sed etiam vitae merito reverendus qui multos ad bonum convertit.

## MCCXXI.

Anno Eberhardi Abbatis VI. Indictione Romanorum nona. Damiatia Civitas Aegypti circa Nilum, quam Christiani priore anno cum magno labore ceperant, interfectis habitatoribus ejus multis pro liberatione captivorum fidelium, qui apud Saracenos detinebantur, Saladino Babyloniae à Christianis restituta est: quod factum peccatis nostris demerentibus, quis dubitet? Nam Saladinus paulò ante pacem Christianorum postulans, civitatem Hierusalem & Regnum totum se restitutum, Urbem quoque sanctam reaedificaturum, Damiatam cum adjacente Regione ad spatium viginti milliaris quietè possidendam se voluntariè concessurum, modò ulterius in terram ejus non procederent, repro-misit: & nunc ejus gratiam postulant Christiani.

Eodem anno civitas Wormatiensis in die sanctae Margarethae Virginis & Martyris igne fuit succensa & multae domus, maximè juxta forum & plateas stratas foro contiguas flamma incendij vorax consumpsit.

Eodem quoque anno fratres Minores, sancto Francisco adhuc vivente, intraverunt Wormatiam, & Henrico de Sarbrucken Episcopo loci simul & quibusdam Urbanis adjvantibus Cœnobium construxerunt.

Anno pranotato Theodoricus Archiepiscopus Trevirorum, Archiepiscopus quoque Mediolanensis, Episcopus Faventinus, Episcopus Regij, cum Legatis Friderici Imperatoris II. mare navigantes in auxilium Christianis, Domino Salvatori militantibus contra Saracenos, in Syriam

Jacobus de  
Vitriaco  
Episcopus  
Cardinalis  
doctus &  
sanctus.

Damiatia  
restituitur.  
Saladino.

Wormatia  
crematur.

Conventus  
Minorum  
Wormatiae

Iter Princi-  
pum ad ter-  
ram San-  
ctam.



perrexerunt, nuntiantes ipsum quoque Imperatorem cum ingenti exercitu Germanorum & Latinorum propediem esse venturum, Episcopus denique Brixienfis cum magna classe navium & copia Longobardorum & Itolorum eodem tempore ad Syriam auxilio futurus Christianis, profectus est.

## MCCXXII.

Cœnobiū  
monialiū  
Hufen in-  
corporatur  
Lympurg.

Anno Eberhardi Abbatis VII. Conradus Episcopus Spirensis audiens Moniales nostri Ordinis in Cœnobio Hufen dicto in sua Dicecesi prope Monasterium Lympurg, haud procul à Durckheim oppido Comitum de Lynigen, nimium à tramite regularis disciplinæ recessisse vitamque vivere turpem & inordinatam, nec minus in temporalibus bonis huic vitæ necessarijs, quam in spiritali conversatione defecisse, usque adeo quod inopiam suam turpi commercio relevare cogerentur: de consensu Sifridi Archiepiscopi Moguntini statuit, ut nulla deinceps in eodem loco susciperetur ad ordinem, sed permitterentur omnes per mortem extingui cum tempore. Quibus vitæ defunctis Cœnobiū illud memoratæ Abbatæ Lympurgensi esset perpetuo unitum & incorporatum cum universis proventibus suis: ita videlicet, quod Abbas curare studeat, ut divina per Monachos ibidem celebrentur.

Henricus  
filius Im-  
peratoris  
fit Rex.

Eodem anno Henricus filius Imperatoris Friderici III. qui, ut ante diximus, apud Ottonem Herbipolensem Episcopum nutricebatur, cum esset annorum ferme XII. patre postulante in Regem Francorum Teutonum à Principibus Imperij eligitur: & octavâ die mensis Maij, quæ fuit proxima Dominica ante Festum Ascensionis Domini per Engelbertum Archiepiscopum Coloniensem apud Aquasgrani solemnî pompâ unctus coronatur: qui tamen ante patrem moritur.

Rex Daciæ  
capitur.

Anno quoque prædicto Baldemarus Rex Daciæ cum filio suo capus à Comite quodam Henrico de Scuirin, & custodiæ per biennium in castro fortissimo, quod nominant Dannenberg, mancipatus detinetur.

Terræ mo-  
tus horren-  
di multa  
millia ho-  
minum pe-  
remunt.

Anno etiam præscripto in fine Decembris in Colonia Agrippina & circa regionem magnus terræ motus fuit, qui domos & turres plures subvertit. In Cypro Insula duæ civitates eodem anno & terræ motu corruentes plurima hominum millia horrendo & inquinato mortis genere perierunt. In Italia quoque & in Longobardia præcipuè maximi & horrendi terræ motus per plures dies hoc ipso anno fuerunt: in tantum quod homines relictis domibus suis in campo sub nudo cælo in tentorijs habitabant. Ipso namque die Dominicæ Nativitatis, & per duas hebdomadas sequentes quasi omni die bis in Longobardia terræ motus fuit nimium horribilis: cujus impulsu domus, Ecclesiæ, muri, turres & castella fortissima subito ceciderunt: sacerdotes cum populo, homines & jumenta perierunt. Brixia quoque Longobardiæ civitas terræ motu eodem tempore penè tota corruit: rupes de montibus evulsæ sunt, castra dejecta, & in diversis locis tam Europæ quam Asiæ multa millia hominum miserabili morte interierunt. In plerisque locis Italiæ, & in ipsa urbe Roma, terra pluit de cælo sanguine permixta: & multa stupenda hominibus visâ sunt.

Sanguis  
pluit ex nu-  
bibus.

Abbas E-  
berhardus  
privilegiū  
impetrat.

## MCCXXIII.

Anno Eberhardi Abbatis VIII. Indiçt. Roman. XI. in mense Januario



rio Fridericus Imperator II. ad instantiam ipsius memorati Abbatis omnia hujus Monasterij privilegia bona & libertates imperiali auctoritate confirmavit: gratiasque ampliores addidit; & literas de super confectas suo imperiali sigillo, ut est moris, roboravit.

Eodem anno Rex Hierosolymitanus nomine Joannes super amissione Damiatæ nimium dolens, quippe quæ sine suo consensu Saracenis à nostris fuerat restituta, compositis, ut poterat, in Syria rebus, cum parva fatis armorum comitiva venit in Italiam auxilium à Romano Pontifice caterisque Principibus Europæ petiturus. Venit ergo Romam, & imprimis Fridericum Imperatorem, ad pacem & concordiam cum Honorio Papa bonis medijs, multis rationibus, multisque modis induxit; ut videlicet ablata Ecclesiæ restitueret, apparatusque bellicum in Saracenos ducendum præpararet. In tantum verò Regis admonitio apud Imperatorem valuit, ut non solum rogata promitteret: sed etiam denuo crucem contra impios pugnaturus de manibus Papæ susciperet.

Mortuâ eo tempore primâ uxore Imperatoris Friderici Mariâ Regis Arragonum filiâ, Joannes memoratus Rex Hierosolymitanus ut sibi animus eò fortiùs devinceret Imperatoris, filiam suam unicam illi desponsavit uxorem; condonans eis dotis nomine, Honorio Papâ consentiente, quidquid filiæ hæreditario jure in Regno Hierosolymitano competeat. Vocata igitur ex longinquis & transmarinis partibus filia Regis Imperatori Romæ conjungitur, & à Pontifice solemnibus benedictione coronatur: ubi celebratis nuptijs magnifico fatis apparatu, Fridericus cum nova Imperatrice in Apuliam latus revertitur.

Anno prænotato Philippus Rex Gallorum moritur; qui CL. marcarum millia legavit in subsidium terræ Sanctæ, memorato Regi Hierosolymorum. Nuptijs igitur filiæ, sicut diximus, Romæ celebratis, idem Rex in Galliam proficiscitur: & accepto prædicto pondere argenti secessit in Hispaniam Limina D. Jacobi visitaturus Apostoli; ubi posteaquam apud Rerengarium illius Provinciæ Regem aliquamdiu comoraretur, ejus sororem postremò duxit uxorem, & non post multos menses per mare navigans cum ea in Syriam revertitur.

Anno etiam prænotato mortuus est Henricus Episcopus Argentinensis, cui successit Bertholdus vir magnæ prudentiæ, opere & sermone strenuus: qui populo sibi commisso fatis utiliter præfuit.

Eodem anno Henricus Rex filius Imperatoris Friderici conventum Germaniæ Principum celebravit in oppido Saxonie Northusen: ubi Engelbertus Colonienfium Religiosus Antistes multum laboravit pro liberatione Baldemari Danorum Regis, quem Henricus Comes de Scuirin, ut supra diximus, cum filio tenuit captivum.

His quoque temporibus Papa Honorius III. ad instantiam Joannis Regis Hierosolymitani missis nuntijs & Legatis circumquaque crucem prædicari fidelibus jubet, denuntians omnibus manifestè quatenus post biennium circa festum Nativitatis sancti Joannis Baptistæ sint parati cum Imperatore mare transire in Syriam.

Anno quoque prænotato penultimâ die mensis Novembris Honorius Papa III. de consilio & assensu fratrum suorum Cardinalium regulam & Ordinem Fratrum Minorum sancti Francisci confirmavit, biennio

Imperator  
Jolam se-  
cundam  
ducit uxorem.

Ludovicus  
fit Rex Gal-  
lorum.

Bertholdus  
fit Episco-  
pus Argenti-  
nensis.

Crux præ-  
dicatur  
contra Sa-  
racenos.

Regula  
Fratrum  
Minorum  
confirmatur.



ante mortem ejusdem Confessoris Sanctissimi: dans Bullam hujusmodi confirmationis, cui eadem regula est inserta.

Theodoricus fit Episcopus Herbipol.

Item anno prænotato Nonis Decembris, hoc est, in profesto sancti Nicolai Confessoris atque Pontificis circa meridiem mortuus est Otto de Lodenberg Episcopus Herbipolensis & Dux Francorum Orientalium vir prudentissimus, qui Henricum Regem filium Imperatoris Friderici multo tempore instituit & educavit. Huic in Pontificatu Beapolitano Theodericus succedens præfuit anno duntaxat I. mensibus II. diebus verò XXIV.

MCCXXVI.

Berengerus fit Episcopus Spirensis.

Anno Eberhardi Abbatis IX. Conradus Episcopus Spirensis obiit duorum Regum Philippi & Ottonis Cancellarius, qui Ecclesiam quoque Metensem à plerisque scribitur annis pluribus tenuisse, nisi forsitan similitudo nominum eos deceperit, ut Metensem puta verint dici, quæ à veteribus Neometensis sive Nemetensis per syncopen, id est nova Metis, quæ nunc Spira dicitur, fuit nuncupata. Huic autem Conrado in Pontificatu Spirensis Ecclesiæ successit Berengerus de Entringen, qui prænotato anno die mensis Martij vicesimâ septimâ per Canonicos memoratæ Ecclesiæ electus præfuit annis novem.

Conventus Principum Franckenfurti.

Eodem anno circa medium mensis Maij Henricus Rex conventum Principum in oppido Franckenfurt celebravit, in quo missi ab Imperatore nuntij cum literis prænunciabant ipsum de Apulia in Germaniam quantocius esse venturum, atque pro recuperatione civitatis Hierosolymæ, ac totius terræ Sanctæ habiturum consilium.

Legatus venit in Hirsaugiâ.

Anno etiam prænotato Papa Honorius Conradum Portuensem Episcopum Cardinalem S. Rufinæ Legatum pro Crucia in Germaniam destinavit, qui per Sueviam descensurus ad Coloniam præfens Monasterium Hirsaugiense in propria persona visitavit, quem Abbas Eberhardus honorificè suscipiens humanissimè per biduum curare studuit, & postea usque Spiram comitatus fuit. Item anno memorato Henricus Rex, Conradus Episcopus Portuensis prædictus Cardinalis, Engelbertus Archiepiscopus Colonienfis, Hermannus Magister Hospitalis Hierosolymitani Ordinis Teutonicorum, & quidam alij Principes de Colonia simul in Saxoniam pro quibusdam negotijs Ecclesiæ & Regni profecti sunt, intentionem habentes liberandi Regem Danorum de captivitate Comitis Henrici de Scuirin, à quo detinebatur, ut diximus. Cùmque processissent usque ad Albin fluvium Saxonie Hermanum præfatum Hospitalis B. Mariæ Teutonicorum Magistrum ad Comitem sæpe dictum præmiserunt: qui animum Regis captivi tentaret super concordia, ipsique præcedentem postea subsecuti sunt. Consultationibus igitur multis atque tractatibus præhabitis concordandi modum hunc tandem invenerunt. Quòd Baldemarus videlicet Danorum Rex omnem terram quam possederat Imperio ablatam in primis deberet restituere: Regnumque Daciæ & Coronam de manu Imperatoris suscipere, sicut antecessores sui Reges Danorum pleròsque fecisse constat: insuper & centum marcarum millia pro liberatione sui ac filij de prompto rependeret. Placuit hæc pacis conditio Regi captivo, & omnia se fideliter servaturum omni tempore annuente filio promisit. Verùm Albertus Comes de Urlemunda filius sororis ipsius Baldemari Regis, & ceteri Danorum Principes qui

Hermannus Magister Hospitalis.

Pro Rege Danorum consultatio.

Rex Danorum liber dimittitur suæ conditione.

con-



conveniant propositam conditionem pacis recusantes, & promissa Regis cassantes, navibus conscensis, ad sua cum indignatione redierunt: pecuniam ingentem quam pro liberatione Regis Baldemari attulerant secum iterum reportantes. Unde & memorati Principes infecto negotio ad sua redierunt.

Non placet conditio Danis.

Anno præscripto Theodoricus Herbiopolensis Ecclesiæ Pontifex, Francorumque Orientalium Dux moritur: post quem in Pontificatu successit Hermannus de Lodenburg nepos Ottonis quondam Episcopi: & præfuit annis ferme xxvi. qui à civibus Peapolitanis multas insolentias tum propter Fridericum Imperatorem excommunicatum, tum etiam quòd jugum obedientiæ debitum conabantur excutere, sustinuit: contra quos tamen semper & jure & bello triumphavit.

Hermannus fit Episcopus Herbiopol.

MCCXXV.

Anno Eberhardi Abbatis X. in mense Januario Albertus Comes Urlemund. cujus jam fecimus mentionem, congregato magno Danorum exercitu contra Henricum Comitem de Schvirin processit ad bellum, sed Comes idem Henricus venienti non segniter occurrit: committiturque pugna inter eos animositate magnâ à prima hora diei usque ad vesperam, & ceciderunt multi ab utraque parte, sed victoriam Comes Henricus obtinuit. In eo prælio Comes de Urlemunda prædictus cum nobilibus Danorum pluribus captus est ab Henrico de Scuirin, & ductus in Dannenburg castellum munitissimum, ubi & Baldemarus Rex cum filio tenebatur captivus, custodiae mancipatur. Ita factum est ut conditionis propositæ articulos, quos priùs. ut diximus, tumidâ mente contempserat, humillimè jam captivus subire postularet. Post hæc intervenit Principum concordia facta est sub conditionibus pacis de Rege Baldemaro susceptis, firmissimâque pace juratâ, sed & literis necessarijs confirmatâ atque pecuniâ redemptionis in promptu numeratâ, Rex cum filio & Comite dimittitur: quamvis in malum sibi postea fidem non servaverit, ut dicitur.

Bellum Danorum cum Comite Henrico.

Albertus Comes captus in bello.

Conditio pacis cum Danis.

Hyems fuit hoc anno dura simul ac longissima: quam fames biennio durans gravissima est subsequuta, quâ multi miserè perierunt. Henricus Rex iterum apud Franckenfurt conventum Principum habuit, in quo multa & varia pro communi pace tractata fuerunt.

Hyems dura & fames magna.

Anno prænotato idibus Septembris obiit Archiepiscopus Moguntinus: cui ejusdem nominis Sifridus III. succedens præfuit annis xxiv. homo magnarum actionum, qui jura, libertates & præventus Ecclesiæ Moguntinæ non mediocriter ampliavit. Hic principatum insignitum Monasterij Lorsch nostri Ordinis de consensu tam Imperatoris quam Romani Pontificis, sed contra voluntatem Ordinis, Moguntinæ Ecclesiæ usurpavit cum oppidis, villis atque castellis in valore centum millium ducatorum: ipsûmque Monasterium, quod nostræ institutionis semper fuerat, ut suo loco dicemus, ab Ordine alienavit.

Sifridus Archiepiscopus Moguntinus obiit.

Anno etiam prænotato Engelbertus ex Comitibus de Monte Archiepiscopus Colonienfis, à Friderico Comite de Ysenberg sororis suæ filio, qui tenacem ejus pro justitia zelum ferre non poterat, octo & triginta vulneribus confossus in quodam itinere crudeliter & innocenter occisus est: cujus venerabile corpus ad Coloniam relatum in majori Ecclesia



Henricus  
fit Archie-  
piscopus  
Colonienf.

clesia cum debito honore sepultum est in Capella propria versùs aquilonem: cujus vitam, passionem & miracula Casarius Monachus, ut supra dictum descripsit: post quem & alia miracula circa tumbam ejus multa contigerunt. Post quem in Archiepiscopatu successit Henricus de Mulenarck Bunnensis Præpositus, & præfuit annis x. qui mox ut ordinatus fuit in vindictam Antecessoris sui occisi, castellum Ysenberg Comitit Friderici prænominati parricidæ funditus evertit & destruxit. Claruit sanè prænominatus Engelbertus post mortem suam, multis & stupendis miraculis: sed posteaquam ejus interfector Comes Fridericus extra muros Colonienfes non diu postea fuit justitiâ dictante rotatus, miracula cessaverunt usque in præsentem diem.

Henricus  
Rex ducit  
uxorem.

Anno quoque memorato Henricus Rex, filius Imperatoris Friderici, uxorem duxit filiam Lupoldi Ducis Austriae, nuptiasque in Nürinberga cum pompa & solemnitate Regia celebravit, in præsentia multorum Principum atque Nobilium. In quo conventu procerum sententia data fuit contra Fridericum Comitem de Ysenberg interfectorem B. Engelberti Archiepiscopi Colonienfis, qui jam profugus latuit ut ubicunque inveniretur, tamquam homicida crudelissimus rota subiret judicium. Quod & factum est, nam inventus postea, & Coloniam perductus, extra urbem vivus rotatus est, matre inspectante, & sub rota vociferante: heu me, hæc sunt viscera mea à corvis devoranda, sicut per somnium vidi, cum te fili mi adhuc portarem in utero. Quare autem illo rotato miracula ad sepulchrum B. Præfultis Engelberti cessaverint, si quis scire desiderat: historiam facti diligentius attendat. Nam Comes Fridericus homicida impius peracto scelere, mox cum satellitibus suis numero xxv. se ad castrum Ysenberg recepit, verum castello non confidens, inde fugiens recessit, & anno toto profugus & excommunicatus à Conrado Portuensi Episcopo Sedisque Apostolicæ Legato, nusquam tutus latuit, anno postea revolutò, à quodam milite inventus & captus, pro marcis centum & duobus millibus Henrico Archiepiscopo, quem Engelberto successisse diximus, venditur, & vincus Coloniam perductus xviii. Calend. Decembr. rotatur, Beatus verò Engelbertus vii. Iduum Nov. anno præscripto patitur.

Comes de  
Ysenberg  
rotatur.

MCCXXVI.

Longobar-  
doru con-  
spiratio  
contra Fri-  
dericum.

Anno Eberhardi Abbatis XI. Longobardi ad suggestionem Honorij Papæ III. contra Fridericum Imperatorem conspirantes ligam inter se & inimicos suos, adversus Imperium Romanum statuerunt, quæ multis annis sub nomine confederationis Longobardorum dicta permanfit, in grave dispendium memorati Imperij & impedimentum Hierosolymitanæ expeditionis manifestum, quoniam iter, quod in Syriam facere promiserat, tali, ut ferebatur occasione, diutius fuit retardatum.

S. Franci-  
scus mori-  
tur.

Eodem anno S. Franciscus de Assisio Fundator Ordinis Minorum Christi amator ferventissimus vi. die mensis Octob. de præsentis miseria transivit ad Dominum, quem totis semper viribus amavit, & mox infinitis coruscare miraculis cœpit, unde post biennio elapso, per Gregorium Papam IX. Catalogo SS. ascriptus est, in augmentum devotionis multorum.

His temporibus Henricus Wormatiensis Episcopus Coenobium Hor-



tus-Ceraforum, vulgariter Kirfchgart nuncupatum extra moenia civitatis de novo construi fecit; in quo Moniales Cisterciensis Ordinis posuit: quibus ad serviendū omnipotenti Deo hujus vitæ necessaria providit, quæ locum ipsum per annos ferme CC. sub eadem Religione inhabitârunt, usq; ad tempora Friderici Episcopi ejusdem civitatis, qui anno Christianorum MCCCXLIII. Monialibus propter vitæ deformitatē ejectis, Canonicos Regulæ S. Augustini Episcopi de observantia Windishaimensi vocata introduxit. Memoratus Henricus dignissimus Præsul, gravem cum civibus suis pro defensione libertatis Ecclesiasticæ dissensionē habuit: qui cum mandato ejus obedire contemnerent, civitatem interdicto supposuit: celebrari divina in urbe penitus prohibuit, deinde cum nec sic quidem proficeret, omnem Clerum de Civitate præcepit egredi: & solos parochialium Ecclesiarum paucos Curatores in ea dimitti. Qui nihilominus pœnitentes absolvere aut cōmunicare infirmos non poterant, nisi prius se mandatis obedire velle Pontificis promitterent. Nullus interea sepultus in loco sacro fuit. Cūque ad unius anni spatium hæc mala durâssent, tandem concordia facta est.

Anno prænotato Honorius Papa III. moritur, & Romæ apud S. Mariam Majorem sepelitur. Cui Gregorius ejus nominis IX. præfuit annis XIV. mensibus III. qui mox ut ordinatus fuit sententiam Honorij prædecessoris sui contra Fridericum confirmavit.

MCCXXVII.

Anno Eberhardi Abbatis XII. Henricus Rex filius Imperatoris Friderici II. circa Dominicam Passionis in Quadragesima conventum Principum apud Aqualgrani magnum celebravit, jussione patris pro itinere Hierosolymitano instituendo. Ibi comparuerunt totius penè Regni Principes: Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, Theodoricus Archiepiscopus Trevirorum. Henricus Archiepiscopus Colonienfum, Archiepiscopus quoque Salzbürgensis. Archiepiscopus Madbürgensis. Archiepiscopus Bremensis, cum pluribus Suffraganeis eorum Episcopis, quorum omnium recensere nomina superfluum judicamus. Affuerunt etiam inter plures isti Principes seculares. Lupoldus Dux Austriæ, qui de terra Sancta ante biennium redierat: Item Dux Baviariæ Ludovicus, Dux Carinthiæ, Dux Brabantiæ Henricus, Dux Lotharingiæ, Henricus Comes Palatinus Rheni, Ludovicus Landgravius Thuringus maritus S. Elisabeth. Comes quoque Flandriæ qui per annos XII. Parisijs à Rege Gallorum fuerat captivus, & anno priore solutus tandem evaserat. Aderant & alij plures. In eo conventu Principum uxor Henrici Regis, quæ filia fuit Lupoldi Ducis Austriæ, ut suprâ diximus, per ministerium Henrici Archiepiscopi Colonienfis in Reginam unctâ & coronata fuit, atque in sede Regali, juxta maritum cum magna pompa collocata.

Eodem año Baldemarus Rex Danorum obligationis & juramentorum oblitus factusq; transgressor atque perjurus, congregato magno suorum exercitu contra Henricum Comitem de Scuirin procedit ad bellum. Cui ille ex adverso non segniter occurrit: & pugnâ in die S. Mariæ Magdalene commissâ, Rex ipse superatus est: & vix per fugam evasit, quatuor suorum millibus interfectis & captis quàm pluribus. habebat in suo exercitu Comes Henricus suffragia Archiepiscopi Bremensis, & aliorum Comitum plurium.

Z z z

Anno

Cœnobiū  
Kirfchgart  
fundatur.

Dissensio  
Wormatiensium  
contra Episcopum.

Gregorius  
fit Papa IX.

Uxor Henrici Regis  
coronatur.

Rex Danorum in  
bello superatur.



Anno prænotato expeditio tranſmarina contra Saracenos apud Aquasgrani pridem indiſta, per totum Regnum caſſatur & diſſipatur: propterea quòd Fridericus Imperator, ſicut promiſerat tudum & pluries ire, omnino recuſabat. Unde commotus Papa Gregorius anathematis in illum ſententiam promulgavit: quam Sifridus Moguntinenſium Archiepiſcopus per totum Regnum publicavit. Iverunt nihilominus multi Principes Cruce ſignati pro amore Crucifixi: contumaciâ Imperatoris non obſtante. Inter quos fuerunt Epicoſopus Auguſtenſis, qui obiit in itinere. Ludovicus Comes Caſtellenſis, Ludovicus Comes ſenior de Stolberg, Ludovicus etiam Landgravius V. Thuringorum, ſed & Miſnenſium primus Marchio maritus S. Eliſabeth, Princeps in Chriſti Religionem devotiſſimus, cum quo multi Comites & nobiles terræ ſimul profecti ſunt. Qui pientiſſimus Princeps, cum perveniſſet in Siciliam Inſulam, graviter inſirmari cœpit: ubi cum mortem ſibiadeſſe ſentiret, Sacramentis communiri Dominicis petijt, nec diu poſtea xi. die menſis Septembris in quodam Sicilia oppido, quod vocatur Ortrand, cum ſumma devotione ad Dominum migravit. Cujus oſſa in Thuringiam relata in Monasterio Reinhardsbronn noſtri Ordinis ad ſiniſtram chori partem honorificè ſepulta ſunt.

His temporibus Ordo militum B. Mariæ Hoſpitalis Teutonicorum, de cujus prima fundacione ſuprà diximus Anno Henrici Abbatis IV. in Germania provincijs, domos Conventuales in diverſis locis plures conſtruere cœpit: & brevi tempore multum in rebus & bonis temporalibus profecit per induſtriam Hermanni ſupremi Magiſtri Hoſpitalis Hieroſolymitani; qui anno priore ad contrahendum auxilia in Saracenos de partibus tranſmarinis venerat in Germaniâ cum literis commendaticijs tam Romani Pontificis Honorij, quàm Imperatoris Friderici II. Verebatur etenim vir prudens, quod poſtea contigit, ne ſi Regnum Hieroſolymitanum Saracenorum Dominio in toto ſubjiceretur Ordinis ſui nomen ſimul & inſtitutio penitus interirent. Unde cum favore ſummi Pontificis Imperatoris quoque & Principum domus in Teutonia plures fundatæ ſunt militum Ordinis Teutonicorum, multisque prædijs & poſſeſſionibus in ſubſidium militantium Chriſto magnificè dotatæ. Denique S. Eliſabeth Andrea Regis Ungariæ filia & uxor Ludovici Thuringorum & Haſſorum Landgravij memorati Religioſiſſimi Principis, mulier devotiſſima, in oppido Haſſiæ Marpurg domum præfati Ordinis Teutonicorum fundavit.

Anno etiâ prænotato Henricus Comes Palatinus Rheni, qui in oppido Haidelberg morabatur, filiam ſuam nomine Gertrudem, Otoni filio Ludovici Ducis Bavarie dedit uxorem: cum qua comitatus Palatij Rheni, ſicut poſtea dicemus, poſt mortem ipſius Comitris Henrici ad Duces Bavarie devolutus eſt uſque in præſens.

MCCXXVIII.

Anno Eberhardi Abbatis XIII. Indiſt: Roman: I. Fridericus Imperator II. à pluribus annis cruce ſignatus, propter voti nimiam dilationem, ſæpius à Romano Pontifice monitus, ac tandem excommunicatus, conſilio ſuorum vix poſtremo inductus iter ad terram Sanctam cum magno exercitu fidelium arripuit: quem Gregorius Papa nihilominus interea

Fridericus  
Imperator  
anathema-  
tizatur.

Vadunt  
Principes  
ad terram  
Sanctam.

Ludovicus  
maritus S.  
Eliſabeth  
obiit.

Ordo Teu-  
tonicorum  
plantatur  
in Germa-  
nia.

Otto Dux  
Bavarie  
uxorem  
ducit filiâ  
Palatini.

Imperator  
navigat in  
Syriam.



interea pro excommunicato denunciari & publicari fecit in toto Imperio cunctisque locis Christiani orbis maximè per fratres Prædicatores. Scripsit denique Templarijs & Hospitalarijs Teutonicis ac reliquis Christianis, pro fide in Syria militantibus idem Papa Gregorius, mandans & præcipiens districtè, ut se communionem Imperatoris Friderici tamquam publici Ecclesiæ hostis nullatenus macularent. Ipse autem Fridericus postquam pervenit in Syriam per literas & nuntios Papam pro sui absolutione instantissimè rogavit: se in illius voluntate perpetuò deinceps mansurum, repromittens: sed Pontifice in sua perdurante sententia, impetrare absolutionem non potuit: quod rei Christianæ non parum nocuit.

Eodem anno Odocharus & Wenceslaus fratres Boëmorum Reges, tale privilegium dederunt Ecclesiæ Moguntinæ, quod Archiepiscopus Moguntinus pro tempore existens Reges Boëmiæ ungere & coronare debeat omni tempore, aut cui ille commiserit, & non alius juxta continentiam literarum quas Sifrido Archiepiscopo dederunt sequentes.

*In nomine Domini amen. Odocharus & Wenceslaus Boëmorum Reges, universis Christi fidelibus præfens scriptum intuentibus salutem in perpetuum. Constatemur & publicè protestamur, quod tam nos quàm omnes Successores nostri consecrationem Regalem & diadematis impositionem de Sacrosanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopo terræ nostræ Metropolitanæ in perpetuum tenemur suscipere. Si verò idem Archiepiscopus requisitus, se pro animi sui motu subtraxerit, alteri Episcopo, quem nos vel Successores nostri postulaverint, vitam suam ad id exequendum committet. Ut autem hoc ratum & inconvulsam permaneat, hanc paginam, de consensu venerabilium Pragensis & Olmucensis Episcoporum & Sigillorum nostrorum appensione roboravimus. Data Præge Anno Dominice Incarnationis MCCXXVIII. Indictione I.*

Anno prænotato gravis inter Bertholdum Episcopum Argentinensem, & Comites de Pfirt, suborta est discordia: quæ cum paulatim indeterius cresceret; tota penè Alsatia per triennium, ferro, incendio, & deprædatione raptorum miserabiliter devastata fuit. Post multa tandem suorum incommoda memoratus Pontifex, vocato in auxilium Alberto Nobilissimo Comite de Habsburg, qui & ipse læsus à prædictis Comitibus fuit, ad vindicandum se de inimicis suis paravit, & contra illos cum exercitu processit. Comites autem à Pfirt in suo exercitu habuerunt auxiliariorem Comitem Egonem de Fryburg, & civitates quasdam Imperiales. Congressione igitur factâ, inter Bladosheim & Hirtfeld, exercitus Bertholdi Pontificis memorati victor extitit: & multi ex parte Comitum de Pfirt in illa die ceciderunt occisi: alij vulnerati sunt, alij capti: ceteri se per fugam salvârunt.

Eodem año Fridericus Imperator in terra Sancta cum exercitu constitutus, pacta cum Saladino Saracenorû Rege fecit. Christianis non solum damnosa in multis, sed etiam in plerisque parum honesta, sub hac videlicet conditione, quòd Civitas Hierosolyma cum toto Regno, paucis castellis duntaxat exceptis, sub ditione redderetur Christianorum templo tamen Domini Saracenis relicto: insuper treugas cum Saracenis decimales Christiani firmas haberent. Hæc igitur ignominiosâ compositione treugarum factâ, Fridericus Imperator Hierosolymam coronatus intravit: seque jam

Papa persequitur Imperatorem.

Archiepiscopus Moguntinæ coronat Reges Boëmiæ.

Exemplar literarum sub coronatione hujusmodi.

Bellum inter Episcopum Argentinensem & Comitè de Pfirt.

Imperator pacta facit cum Saracenis.



Hierusalē  
restituitur  
Christianis

Papa deva-  
stat Apu-  
liam.

Imperator  
de Syria re-  
dit in Apu-  
liam.

Imperator  
Apuliam  
& Siciliam  
recuperat.

Ordo Car-  
melitarum  
venit in Eu-  
ropam.

Imperator  
partes Ro-  
mani Pon-  
tificis per-  
sequitur.

deinceps Regem Hierusalem & gessit & scripsit. Posthac Oratores suos misit ad Romanum Pontificem, & reliquos Imperij Principes, victoriam se magnam obtinuisse reputans, quam omnibus cuperet manifestam. Verum Romanus Pontifex non satis pacta laudare potuit, quæ cum Saracenis Imperator statuerat, sed magis amaricatus animo per epistolam publicam hunc ex defensore Christi Ecclesiæ commutatum in hostem querebatur. Rescripsit denique Imperatori Pontifex feriosius monens, ut Rheyhardo, cui Marchiam Anconitanam commiserat, & Conrado, quem Spoletanis præfecerat, mandaret, quatenus urbes Ecclesiæ, quas cæperant, restituerent, & pro illatis damnis componerent; quæ omnia Cæsar furdâ pertransiens aure, parvi pendensque contempsit. Unde commotus animo Pontifex, cum duræ cervicis intelligeret hominem, contractis undecunque copijs, magnum exercitum misit in Apuliam, pluresque civitates & oppida Imperatoris præoccupans cepit: & homines in sua verba jurare, contraque Imperatorem conspirare coegit: civitates quoque ablatas Ecclesiæ plures in brevi recuperavit & quidquid Imperatorij Juris erat uspiam pro viribus devastavit. Quæ cum Fridericus Imperator didicisset relicto Hierosolymis Senescalco, dimissisque in Syria rebus ut erant, celerius cum copijs multis, adjunctis sibi duabus galeis, cum Hermanno Magistro militum Teutonicorum, & Episcopo Messano Sicilia, in Apuliam trajecit, in auxilium advocans non parvam multitudinem exercitûs Alemannorum. Itaque imprimis Apuliam Papæ inductionibus sibi penè totam rebellem, ad subjectionem reduxit, deinde Patrimonium etiam S. Petri, Ducatum videlicet Spoletanum cum Marchia Anconitana, suo Imperio subjecit, & sui terrorem omnibus in circuitu hominibus incussit. Nec diu postea Legatos misit ad Romanum Pontificem Gregorium, Messanum scilicet Episcopum & Magistrum Teutonicorum, per quos gratiam Sedis Apostolicæ postulavit. Quam prius obtinere non potuit, quam restitutis Ecclesiæ urbibus ablatas, centum quinquaginta ducatorum millia pro damnis, quæ multipliciter intulerat, Pontifici rependeret.

His temporibus Ordo Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, primò in Europa transplantari cœpit, qui ante plurimos annos ab Helia & filijs Prophetarum in Regno Hierosolymitano exordium sumpsit: quemadmodum in primo libello nostro de laudibus ejusdem Ordinis Carmelitarum sufficienti narratione ostendimus. Cœperunt igitur Fratres Carmelitæ ab isto tempore multiplicari, & numero & merito per totam ferè Europam, quorum sacram Religionem Sedes Apostolica multis privilegijs communiuit.

MCCXXIX.

Anno Eberhardi Abbatis XIV. Indi: Roman: 2. Imperat: Fridericus, quod per anticipationem priore anno diximus, inito fœdere cum Saracenis, civitatem Hierosolymitanam, in Dominica IV. Quadragesimæ, quam ab Introitu Missalis officij Latere nuncupant, coronatus intravit, & alterâ mox die navibus conscensus in Apuliam & Siciliam remavit, & omnes sibi rebellantes, & qui ad partes Papæ in ejus absentia declinaverant, armorum suorum potentiâ ad obedientiam coegit.

His temporibus claruit Petrus de Vineis, natione Teutonicus patria Sævus



Sævus, Friderici II. Imperatoris Cancellarius, homo callidus, & sæcularis literaturæ non ignarus, qui scripsit ex persona memorati Cæsaris Epistoliarum volumen in VI. libros divisum, cujus prima epistola sic incipit: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* Scripsit & de potestate Imperiali lib. I. Si quid amplius edidit ad notitiam meam non pervenit, fertur enim & alia quædam scripsisse. Hic Petrus Friderici partes etiam injustas contra Ecclesiam Romanam & ejus Pontifices temerè & contumaciter defendens, tam in Concilio quàm alibi etiam coram Papa summis eloquentiæ viribus, sapius excusare conatus est illius adversus Ecclesiam rebellionem, ut omnes, qui loquentem audierant, verteret in admirationem. Unde ferunt ad eum dixisse quædam vice dum perorasset in causâ Cæsaris Romanum Pontificem Gregorium IX. *O Quantus esses fili, si te, ut Imperium, bene volentem haberet S. Ecclesia?* Postea verò indignationem Cæsaris nescio cujus facti ratione incurrit: à quo erutis oculis in Monasterium retrusus est: ubi cæcus & miser vitam agens in amaritudine cordis: quidquid in Ecclesiam peccavit vel Deum, longâ fati afflictione compensavit. Hoc opus eorum & præmium, qui aut Regibus deserviunt seu blandiuntur contra S. Ecclesiam, aut Principibus, qui pauperes contra Justitiam opprimunt: & veritatem Evangelicam contemnant. Contigit autem post annos paucos, Imperatorem Fridericum de novo excommunicari à Papa, deseri à Principibus & contemni ab externis, qui desolatus atque desertus à pluribus, cum sumptus ad bellandum non haberet, insuper excommunicatus à Papa etiam deponendum se ab Imperio propediem non dubitaret: ad consilium Petri quondam Cancellarij sui, de quo diximus, decrevit recurrere, quem in magnis & arduis negotijs sibi noverat pluries quàm oporteret consuluisse. Venit igitur ad Monasterium ubi exoculatus ille manebat, & præmissis quæ animum lenire poterant exulceratum, veniam commissi furoris precatur in primis: deinde sic affatur Magistrum: *Nulla sit tibi memoria injuriarum precor amice, sed concede mihi, quam non mereor, veniam male commissi: quoniam beneficiorum in te meorum pluralitate compensabo deinceps perpetuo impostam tibi notam cæcitatæ. Scio te mihi utiliter posse consulere, quò evadam celerius ex hac, quâ premor, necessitate.* At verò Petrus, qui mentem suam vultûs alacritate celabat: cum nihil magis quàm vindictam animo revolueret: consilium dedit Imperatori postulanti, ut de Monasterijs & Ecclesijs vasa tolleret aurea simul & argentea, quæ maxima & numero & pondere haberentur in Regno, conflataque in monetam stipendio conduceret exercitus: atque suos omnes potenter invaderet adversarios, humiliaretque rebellantes. Postea verò quando fortuna arriserit melior, omnia redderet. Placuit Imperatori consilium, & spoliatis per Regnum Ecclesijs, thesaurum incredibilem brevi tempore comportavit, & factâ monetâ, undequaque conduxit exercitum. Ecclesias Regni omnes spoliavit calicibus, & quidquid in auro vel argento habebant, abstulit: promittens singulis omnia se meliora redditurum, qui nihil penitus cuiquam restituit. Ab eo autem tempore, quo de bonis Ecclesiæ conduxit exercitum odiosus Deo & hominibus factus est, coepitq; in omnibus subito infortunari atque deficere, donec in Lugdunensi Concilio per Innocentium Papam ab Imperio fuit depositus: & alius pro eo

Petrus de vineis Doctor.

Petrus Papam cum Imperatore persequitur.

Petrus in Monasterium truditur.

Imperator consilium postulat in necessitate amici.

Petrus consulit ex calicibus Ecclesiæ monetam facere.

Imperator Ecclesias auro & argento spoliat omnes.



per Principes electus: ipse verò confusus, desolatus & contemptus. Verùm Abbas Monasterij cum quo Petrus manebat ut illum audiret Imperatori tale dedisse consilium, obstupuit: & dixit ad eum. Cum sis vir prudens & Doctor Juris omnium iudicio præstantissimus Petre: miror quòd Imperatori tam iniquum, & contra Deum & iustitiam dedisti consilium: cum scias spoliare Dei Ecclesias gravissimum esse peccatum. Cui Petrus de Vineis respondit: *omnia quæ dicis Pater scio esse verissima: sed aliã quãdã tu putas est dati consilij causa. Imperator furore concitatus innocenti mihi oculos eruit, & nunc in extrema necessitate constitutus à me consilium requisivit. Consilium dedi: per quod oculos meos plene vindicavi. Nam si consilium meum secutus fuerit, si Ecclesias Dei spoliaverit: certus sum quod vindicante Deo, nunquam deinceps prosperabitur, in cunctis vitæ suæ diebus simul & operibus: sed erit odiosus Deo & hominibus, infelix, miser, infortunatissimus: & sic vindicavim oculos meos de tyranno cum meo consilio in extremam devenit egestatem.*

MCCXXX.

Anno Eberhardi Abbatis XV. concordia pacis reformata fuit, inter Bertholdum Argentinensem Episcopum & Comites de Pfirt, mediante Henrico Friderici Imperatoris filio, & filuit terra tempore modico à tumultu bellorum. Verumtamen purgari citò provincia non potuit ab incurfù latronum, qui horis & temporibus nocturnis, non solum domos suffodiebant villanorum, sed etiam Monasteriorum & Ecclesiarum januis ac parietibus fractis, cum assueti essent de furto vivere atque rapinis, quicquid poterant invenire clandestinè auferentes furabantur. Exitus quoque viarum obsidentes nulli parcebant atati aut sexui, sed omnes transeuntes, quos poterant superare, omnibus spoliabant.

Eodem anno Rex Legionis, cum filio suo Rege Castiliæ in Hispania, magno suorum adunato exercitu contra Saracenos, qui erant in ea parte Hispaniæ, quæ Regnum Granatæ nuncupatur, processerunt ad bellum, è quibus multos occidentes, & captivos abducentes, magnam terræ partem occuparunt: civitatem quoque Emeritanam, cum multis oppidis atque castellis de illorum manibus recuperaverunt.

Anno prænotato Rex Arragonum Regnum sive Insulam Majoricarum, annis multis à Saracenis possessam, in manu valida præoccupans, capit, & Christianis legibus potenter restituit: Regem quoque ipsius Insulæ, cum tota familia captivum abduxit, & Insulam Christianis militibus custodiendam tuendamque commisit.

Eodem quoque anno, inter Archiepiscopum Coloniensem Henricum & Ducem de Lympurg, discordia gravis suborta fuit, propter advocatiam Monasterij nostri Ordinis in monte Segeberg, à Sancto Anne Archiepiscopo haud procul à Bunna oppido quondam constructo, quam uterque ad jus suum pertinere volebat. Unde rapinæ & incendia subsecuta sunt, & pauperum deprædationes rusticorum: donec Henricus Rex, vices suas interposuit, & pacem reformavit.

Anno item prænotato Imperator Fridericus, mediante Lupoldo Austriae Duce, in concordiam cum Papa Gregorio reversus, per eum à vinculo Excommunicationis absolvitur: & pax inter Ecclesiam & Imperium diutiùs interrupta reformatur. Quam ob causam Pontifex Imperatori jam reconciliatus, Regem illum Siciliae & Hierusalem salutat: ad

Causa propter quam Petrus tale consilium dedit.

Spoliare Ecclesias Deo facit odiosos.

Concordia fit inter Episcopum & Comites de Pfirt.

Saraceni vincuntur in Hispania.

Majorica capitur à Christianis.

Dissensio inter Archiepiscopum Colonienf. & Comitē.

Imperator ab excommunicatione absolutur.



mensamque illum & omnimodam communionem admittens summa inter eos benevolentia contrahitur, quæ non diu permanens rursus postea per Imperatorē violatur. Lupoldus autem Dux Austriae pace & concordia inter Papam & Imperatorem reformatâ in Campania apud S. Germanum moritur: cujus intestina cum carnibus in domo Capitulari Monasterij Cassinensis sepulta sunt: ossa verò in Austriam per familiares ejus reportata sepulturam paternam receperunt. His temporibus magna Hæreticorum multitudo, quæ diu latuerat in diversis Europæ provincijs, apud Lombardos, Germanos, Gallos, & Italos inquisitione magistrorum detecta fuit: quæ multos & varios profitebatur errores, multi per eos decepti sunt: plurisque in perfidia sua pertinaces, ad ignem condemnati. I. & perniciosissimus error eorum articulus fuit, quod S. Ecclesiam fidelium universalem contemnebant, nuncupantes eam Synagogam Satanae, & conventum malignatum asserentes sectam suam fidelium esse solam Ecclesiam, & neminem extra eam omnino posse salvari: seque solos Christianos, Spiritu Sancto plenos, Apostolorum imitatores, cæteros verò omnes esse hæreticos atque Schismaticos, & cum Diabolo in æternum damnandos. Romanum Pontificem, Cardinales, Episcopos & reliquos Ecclesiae Ministros irridebant & parvi pendebant dicentes eos esse ministros Sathanae, & populi deceptores ac propterea vitam privandos. Monachos omnes cujuscunque religionis, unâ temeritatis sententiâ contemnebant, dicentes eos malitiâ & superstitione plenos, & ob id nullum eorum salvandum, sed omnes damnandos. Jejunia & ritus Ecclesiae parvi pendebant, malè interpretantes illud Pauli: *omnia munda mundis*. Et illud nostri Salvatoris: *omne quod intrat per os, non coinquinat hominem*: Unde in sensum datum reprobum, carnes etiam in Quadragesima manducabant. Confessionem & Pœnitentiam contemnebant dicentes se mundos atque sanctissimos, cum tamen omni spurcitiâ & impuritate pleni essent, maximis & abominandis sceleribus maculati. Dicentes se Apostolorum discipulos, imitatores execrabilium hæreticorum facti sunt, volentes etenim omnia inter se habere communia, etiam uxores, matres & filias indifferenter polluerunt, nec licebat coitum postulanti alicui inter eos denegare, sive cum matre, sive cum uxore aut filia propria vel aliena, & in hoc summae charitatis fraternæ prædicabant complementum. Unum Mediolani erroris sui Patriarcham habebant, inter consimiles latitantem, cujus mandatis obtemperabant in omnibus, eum Christi vicarium esse dicentes, cui singulis annis ex omnibus locis atque Provincijs, in quibus habebant sua conventicula, censum destinabant annum, symbola errorum ab eo recipientes. Capti apud Argentinam Alsatiæ urbem nonnulli præscriptorum Professores errorum, & ignibus combusti, memoratos articulos cum alijs multis quos brevitatis causâ omittimus, in tortura confessi sunt, & abominanda se commisisse scelera publicè dixerunt. Magnus eorum numerus ipsis revelantibus in omni penè orbe Christianorum demonstratus est: ut si verbi gratiâ quispiam ab Antuerpia seu Anglia Romam profecturus iter peregrinus assumeret, hospitem hujus sectæ non unum, sed plures in omni loco, singulis noctibus inveniret, in cujus domo communia omnia haberet, signa quædam ante fores domorum vel in tectis habebant suspensa, qualia

Lupoldus  
Dux Austriae moritur.

Hæreticorum fit inquisitio.

Hæreticorum articuli quinque.

Capti comburuntur.



Signis mu-  
tuo se co-  
gnoscebāt.

qualia per singulos annos variando nova Magister eorum Mediolani  
residens dedisset: per quæ mansiones suo deputatas errori facile cogno-  
scebant; quæ tamen fideles ignorabant. Sermones etiã habebant symbo-  
licos, industriã præceptorum datos atque compositos, quorum prolatio-  
ne & intelligentiã in medio multorum scire poterant, qui de secta sua  
essent aut non essent, contra hos nefandissimos hæreticos, Sedes Aposto-  
lica per totam Italiam, Germaniam, Galliam, & Angliam, plures de-  
putavit inquisitores, quorum studio multi fuerunt conversi ad fidem or-  
thodoxam; multi pertinaces in errore combusti, cæteri latentes evanuerūt.

MCCXXXI.

Ludovicus  
Dux Bava-  
riæ mori-  
tur.

Anno Eberhardi Abbatis XVI. Indiçt: Rom: iv. Ludovicus Dux  
Bavariæ, qui anno priore cum exercitu Christianorum magno transierat  
mare in subsidium terræ Sanctæ, in reditu constitutus machinatione Fri-  
derici (ut ferebatur.) Imperatoris, à quodam Saraceno Veruli de Monta-  
nis nuntio ad hoc missõ, præsentem familiã suã totã, cultro perfossus inte-  
rijt & mortuus est: cujus cadaver in Monasterio Scheurin Bavariæ se-  
pultum fuit. Porro Saracenus ipse gladijs familiarium Ducis in mille  
frusta concisus, præsumpti sceleris sui pœnas mox dedit in eodem loco.

Otto Dux  
fit Comes  
Palatinus.

Huic in Ducatu Bavariæ Otto filius successit, qui Gertrudem filiam  
Henrici Comitis Palatini Rheni, qui apud Heidelberg, ut supra diximus,  
morabatur, habebat uxorem; cum qua, mortuo Henrico, totum domi-  
nium illud obtinuit, & jure hæreditario deinceps possedit. Ab hoc itã-  
que tempore Ducatus Bavariæ & Comitatus Palatij Rheni conjuncti sunt,  
usque in præsentem diem, & utriusque titulos in unam progeniem præ-  
missa cognatio copulat. Genuit autem mortuus Dux duos filios de præfa-  
ta conjugè sua, quorum primogenitus vocabatur Ludovicus, qui post  
obitum Patris Palatinatum cum certis oppidis & castris in Bavaria Superi-  
ori pro sua portione, post longam contentionem obtinuit. Secundo-  
genitus vocabatur Henricus, qui oppidum Landhuettam cum inferiori  
Bavaria, ut suo loco dicemus, possedit. Memoratus Dux Otto oppidum  
Brubach ad Rheni litora positum cum adjacente castello, cunctisque  
proventibus suis in feudale beneficium contulit Comiti de Kazenelen-  
bogen, quod modò possessionis & provincialis Comitis Hassiæ; quia  
ultimus Comes de Kazenelenbogen, qui tempore adolescentiæ nostræ  
obiit, nomine Philippus, unicam reliquit filiam, quam Hassonum Land-  
gravius duxit uxorem: & cum ea Comitatum ejus obtinuit.

Ludovicus  
& Henri-  
cus filius  
ejus.

Brubach  
facit feudũ  
Comiti.

D. Antoni⁹  
de Padua  
mori-  
tur Patavij.

Anno prænotato, moritur D. Antonius de Padua nuncupatus, Or-  
dinis fratrum Minorum B. Francisci Discipulus, vir magnæ Religionis  
& eximiæ sanctitatis, qui multis & in vita, & post mortem coruscavit  
miraculis: propter quorum infinitam multitudinem SS. catalogo mox  
à Gregorio Papa IX. fuit ascriptus. Doctrinæ cœlestis tantã dulcedine  
redundabat, ut Romanus eum Pontifex Arcam consueverit appellare  
testamenti. Tantæ autem sapientiæ fuit, quod S. eum Franciscus Epi-  
scopum suum coram fratribus suis consueverit dicere. Ante Religionis  
ingressum Theologiam multo tempore Tolosæ, Bononiæ ac Patavij do-  
cuit: & discipulos post se plurimos reliquit. Prædicator excellenssi-  
mus fuit, & in audientia Romani Pontificis, ac Patrum Cardinalium sæ-  
pius prædicavit. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula sermones de  
tempo-



tempore luculentissimos & valde utiles, quos in duobus lib. compræhendit, Sermones quoque de Sanctis in uno volumine plures composuit. Ejus vita miraculis plena diligenter conscripta est.

Anno etiam prænotato XIII. Cal. mensis Decembris obiit Elisabeth filia Regis Ungariæ, uxor quondam Ludovici Landgravij Thuringorum & Hassonum, mulier sanctissimæ conversationis: cujus venerabile corpus in Ecclesia militia Teutonicorum, quam ipsa à fundamentis novam erexerat in oppido Hassiæ Marpurg cum summa reverentia & honore sepultum est, quam Gregorius Papa IX. SS. catalogo inscripsit. Ejus vitam Cæsarius Monachus Heistaberacensis Ord. Cisterciensis, ut supra diximus, aperto sermone descripsit.

Anno præscripto Eberhardus XXIII. hujus Monasterij Hirsaugiensis Reverendissimus Abbas post multos labores, sextâ decimâ die Octobris in Domino quievit, anno ætatis suæ quinto & sexagesimo: Regiminis verò curæ pastoralis sexto decimo non completo, homo certè sempiternâ memoriâ dignus, qui Monasterio in utroque statu laudabiliter præfuit, & jura libertatis cum rebus constantissimè semper defendavit. Ornavit Ecclesiam: plura construxit ædificia, auxit redditus: & ab alijs parta diligentissimè conservavit. Et quamvis Monasticus Ordo, nimium per totum orbem Christianum suo tempore, à primævâ institutionis fervore tepuerat: Eberhardus tamen Abbas, tam in se quàm in sibi commissis, Regulam pro viribus observare studuit; & formam se Monachis vivendi statuit, ac tramitem honestatis custodivit.

## De Ernesto hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXIV. qui præfuit annis XIII. mensibus duobus, diebus quoque VII.

**R**ost mortem Reverendissimi ac Deo dilecti Abbatis Eberhardi vacavit Abbatia diebus X. propter illorum absentiam, qui ad electionem novi Pastoris fuerant de consuetudine hæcenus observata laudabiliter evocandi. Cùmque transissent dies expectationis necessariae, convenerunt ad locum Capitularem fratres, qui vocem in electione habebant, Anno Dominicæ Nativitatis prænotato MCCXXXI. Indiæ: Rom: IV. die verò sextâ & vicissimâ mensis Octobris propter novi electionem Abbatis. Præmissis itaque orationibus consuetis, & tractatibus necessarijs, in Abbatem hujus Monasterij XXIV. tandem unanimiter elegerunt Ernestum, Monachum Conventualem, qui majoris Cellarij aliquamdiu gesserat officium: virum bonæ & honestæ conversationis, præfuitque annis XIII. mensibus duobus, diebus VII. qui ordinationem sui à Berengero Spirensium Episcopo, cum debita solemnitate hic in Monasterio suscepit, in præsentia plurimorum, quos invitaverat, Abbatum. Patria illi Suevia fuit, qui natus de honestis parentibus, & secundum hujus seculi æstimationem non ultimo loco habilis ad Regionem juvenis, sub Marquardo Abbate hujus Monasterij intravit. Qui cum tempore sapientiâ simul & intellectu proficiens in pluribus Monasticæ palestræ officijs, à juventute usque

Opuscula  
S. Antonij  
de Padua.

S. Elisabeth  
moritur.

Eberhardus  
Abbas hujus  
loci  
moritur.

Vacat Abbatia  
X. diebus.

Ernestus  
fit Abbas  
hujus loci,  
XXIV.

Ernesti  
patria &  
mores.